

reddidit per formam optandi, *Neh das die Hülfß auß Zion vber  
Israel köme*: Hebræi enim optativo carent.

§. 36. *Ex Sion*, de monte Sion vide annotata *Psalms. 2. v. 7.*  
Ex Sion autem salutare optat, quia ex eö species decoris & De<sup>9</sup>  
manifestè venturus erat, *Psalms. 50. v. 2. 3.* & quia Sion typus  
erat cœli à quo auxilium venit *Psalms. 121. v. 1. & 123. v. 1.* Con-  
fer. *134. v. ult.* sed Sion, *inquis*, tunc temporis nondum fuit?  
Respondeo David fuit Propheta, ideoque Deo revelante  
omne id negotium ei fuit cognitum.

§. 37. Per *Israelem & Iacobum* non tantum intelligit eum,  
qui est secundum carnē, sed etiam & in primis Israelem secun-  
dum vocationem, benedictionem & promissionem, prout  
explicat D. Apostolus *Rom. 4. & 9. & 11. Galat. 3. & passim.*

§. 38. *Salutare israelis* est Messias, quod Iacobus expecta-  
vit, *Gen. 49. v. 30.* in quo Abraham cum tripudio exultavit,  
*Iob. 8. v. 56.* quod Paulus prædicavit, *Actor. 28. v. 28.* Sime-  
on spectavit, *Luc. 2. v. 30.* quod Maria exaltavit, *Luc. 1. v. 46.*  
Simeon in ulnis portavit, *Luc. 2. v. 28.*

§. 39. Per *captivitatem* maximè intelligit Spiritualem è  
quo Messias nos liberavit in cœlum ascendens captivitatem  
capiens & dona in hominibus accipiens, *Pf. 67. v. 19. Eph. 4. v. 8.*

§. 40. *Exultabit Iacob & letabitur Israel*; quod licet vel  
tum factum fuerit in Veteri, solenniter tamen impletum est  
in nov. T. statim à natō Christo cum Angelus annuntiaret  
gaudium magnum; ubi non est, ut tantum intelligamus so-  
lūm personam Iacobi & per eam solos electos, cum Angelus  
*Luc. 2. v. 11.* exsertis dicat verbis, gaudium id futurum esse  
*omni populo*: quod verō solius Iacobi nomen exprimitur non  
fit propter prærogativam carnis, sed propter applicationem,  
quæ facta est fide; Beneficia enim Christi, *inquit Chryso-*  
*stomus*, non dantur generi aut dignitati,  
sed fidei,

Doctrinæ